

DE
CATVLLI AD LESBIAM
CARMINIBVS.

LIBRARY
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DISSE^TAT^O PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE VI. MENSIS AVGVSTI A. CIOCCCLXIII

PVLICE DEFENDET


GVILELMVS VORLAENDER

GVESTPHALVS.

ADVERSARI^I ERVNT:
WACHENDORF, DR. PHIL.
MVELLER, SEM. PHIL. SEN.
DEDERDING, STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.



Veniam me petere oportet qui ausus sim talem suscipere quaestionem quae altiorem quandam rerum humana-
rum notitiam itaque maiorem quoque annorum numerum
videatur postulare, et illud iudicium de vita Catulli im-
pugnare de quo iam inter omnes viros doctos qui de hac
re disseruerunt convenerit, quo in numero etiam tales sint
quorum auctoritas valeat plurimum. Sed animadvertisse
mihi videor hucusque fere neglectam esse illam rationem
quae in ceteris scriptoribus enarrandis norma philologo-
rum soleat esse ut prius verba ipsa scriptoris ponderen-
tur quam diligentissime quam alii fontes adeantur unde
comparando colligendoque sperari possit aliquid fructus
esse redundaturum. Hoc igitur pro virili parte praestare
studii et ita novam de ordine carminum Catulli senten-
tiam probare conatus sum in dissertatione mea quam his
diebus amplissimo philosophorum Bonnensium ordini tradidi.

Quoniam vero mihi deerat facultas totius huius opus-
culi imprimendi, placuit priorem tantum partem excuden-
dam curare cum praesertim haec pars ea contineat quae
mihi graviora videantur esse.

I.

Scatet liber Catulli talibus locis qui ad varia momenta
vitae respiciunt poetae, usque eo ut non ita valde deside-
rentur alii de hac re fontes, dummodo contigerit eum in-

dagare ordinem quo haec singula momenta sese exceperint. Hanc quaestionem nostra demum aetate complures viri docti suscepereunt: C. G. Helbigius ('Zur Charakteristik des Catullus, deutsche Jahrb. f. Wiss. u. K. 1842 p. 1218 not.), Io. v. G. Froehlichius ('Ueber die Anordnung der Gedichte des Q. Valerius Catullus', Abh. d. Bair. Ak. Cl. I Bd. III, m. 1843 p. 689—716). W. Th. Jungclausenius ('Zur Chronologie der Gedichte des Q. Valerius Catullus' Itzehoe 1857), L. Schwabius ('quaestionum Catullanarum liber I', Gissae MDCCCLXII), O. Ribbeckius ('C. Valerius Catullus', Kiel 1863). — E quibus Froehlichius postquam copiose demonstrare studuit ordinem carminum Catulli sicut inveniretur in codicibus nostris omni prorsus carere ratione neque usurpari posse in explicanda vita poetae, in fine commentationis ea carmina, quae ad Lesbiae amorem spectant, composuit eo ordine quo singula deinceps carmina scripta esse a poeta censuit respectu proprii habitus unius cuiusque carminis. Divisit autem haec carmina in tres classes, quarum prima ea contineret carmina quae primo tempore amoris Lesbiae, altera ea, quae hoc amore turbato, tertia ea quae post reconciliationem scripisset poeta: vix recte opinor, nam minime est veri simile redintegrasse poetam consuetudinem cum Lesbia, postquam c. XI tam atrociter illi amorem renuntiavorat et c. LVIII eius vitem perstrinxerat impudicitiam. Quod vero ad singula attinet, in his vereor ne saepissime Froehlichius nimiae sit insimulandus licentiae; accedit quod omnis prorsus desideratur argumentatio. Aliam viam ingressi sunt quattuor illi viri docti, quos modo praeter Froehlichium nominavi. Quorum Helbigius quamquam obiter tantum et in transitu hanc tetigit quaestionem, fundamentum tamen iecit commentationum et Jungclauseni et Schwabii et Ribbeckii. Primus enim Helbigius astipulans eis viris doctis qui antea contenderant Lesbiam Catulli esse Clodium illam quadrantariam soro-

rem P. Clodii, Caelium Rufum Catulli oratorem illum M. Caelium Rufum, ab illo tempore egressus est in definiendis carminum Catulli temporibus, quo M. Caelius Rufus cum Clodia quadrantaria rationem habuit: eodem igitur fundamento usus Iungclaussenus accuratius de hac quaestione egit, copiosissime vero nuper Schwabius qui de enarratione libri Catulli materia undique uberrima congesta optime est meritus; Ribbeckius denique quem ultimo loco memoravi in universum Schwabio astipulatur sed in definiendis singulorum carminum temporibus saepius ab eo dissentit psychologicis quae vocantur in primis argumentis in auxilium vocatis.

Omnia argumenta quibus illud fundamentum potest firmari Schwabius l. l. p. 185 ita collegit:

'Ovidius — testis est Lesbiae nomen puellae a Catullo amatae falsum fuisse: Appuleius verum nomen narrat fuisse Clodium. Clodium quadrantariam Cicero pro Caelio narrat cum M. Caelio Rufo rem per tempus aliquod habuisse: Lesbiam Catulli scimus ipsam quoque cum Caelio Rufo moechatam esse. Clodium quadrantariam cum Publio fratre incestum fecisse Cicero locis permultis commemorat: Catullus dicit a Lesbia Lesbium sibi anteponi. si Lesbiae nomen verum est Clodia, verum Lesbii nomen Clodius fuerit necesse est: Clodius igitur a Lesbia Catullo anteponitur. vides a Catullo P. Clodium sororis amatorem significari. Cicero in Caeliana vitam quadrangulariae inquinatissimam et mores corruptissimos descriptis: quae si comparantur cum eis quae Catullus in Lesbia vituperavit, plane eadem utrumque et Ciceronem et Catullum reprehendisse nemo infitabitur. scimus Lesbiam, cum a Catullo amaretur, iam viro alicui nuptam fuisse: quod quo tempore fuit, Clodia etiam quadrantaria viro iam nups erat, Q. Metello Celere. aetas etiam amantium optime conspirat. denique Clodia quadrantaria nobili genera orta fuit. nobili genere etiam Catulli Lesbiam ortam esse

omnino nihil est quod dissuadeat, immo id eo commendatur quod Allius, vir sine dubio nobilis, domum suam amantibus praebuit quo convenientire: quare simul sententia eorum refutatur qui meretriculam fuisse Lesbiam inepte credunt'.

Omissis eis argumentis quae per se nullam habent demonstrandi vim ea duo tantum conabor refutare quibus Lesbius et Caelius Rufus cum P. Cludio et M. Caelio Rufo componuntur. Quamquam concedere cogimur 'Lesbiā' fictum nomen fuisse pro 'Clodia', inde profecto per se non est consecarium 'Lesbiū' nomen in c. LXXIX idem valere quod 'Clodium'; quid enim? nonne credere possumus eodem modo hic amatorem quendam Lesbiae feliciorēm Catullo propter hanc solam causam quod cum Lesbia rationem habeat, Lesbiū appellari¹⁾ ut in carm. LIX v. 1 amica 'Rufi' vel, ut hic cum contemptu nominetur, 'Rufuli' 'Rufa'? Conferas quaeso quod ipse Schwabius (p. 88) de hoc nomine dixerit. Fortasse in nomine 'Lesbius' singulare quoddam inest acumen, quo nomine is designetur, qui possideat iam, ut ita dicam, Lesbiae amorem cf. LXXIX v. 1. 2:

quem Lesbia malit
Quam te cum tota gente, Catulle tua.

Sed largiamur huic Lesbio verum nomen fuisse 'Clodium', simul cognomen eidem fuisse 'Pulcrum' (Schwabius enim p. 92. 93 cum Mureto hanc ambiguitatem verbi 'pulcer' in v. 1 deprendere sibi videtur. Ceterum ex hoc verbo per se spectato non potest concludi Lesbiū fuisse Clodium quendam Pulcrum; imo tunc demum si concederimus Lesbiū fuisse Clodium quendam, simul largiri fortasse cogimur cognomen huic Cladio fuisse Pulcro); inde minime colligi potest hunc fuisse P. istum Clodium Pulcrum; nam si vere demonstravit Schwabius (p. 94—101)

¹⁾ Ita iam Doeringius hoc nomen declaravit cf. infra p. 26.

P. Clodium facie fuisse pulerum, haec res debilitat magis quam firmat Schwabii illam de c. LXXIX sententiam. Vix enim verba 'Lesbius est pulcer. quid ni? quem Lesbia malit e. q. s.. aliter possunt intellegi quam ita: Lesbium illum cum antea semper deformem habuerim, errasse me inde apparet, quod Lesbia illum mihi anteponit'. Ex quo ioco efficitur re vera hunc Lesbium deformem fuisse. — Si vero hic de P. isto Cludio sermo est, nego inde consectorium esse Clodium illam quae Lesbiae nomine appelletur sororem eius fuisse; accedit quod, ut Iungclaußenus scite monuit (p. 14), multo acerbius hoc carmen deberet esse, si re vera hic de incestu fratri cum sorore esset sermo. Quod ipsum argumentum Schwabius cavillatione sua (p. 93) non redarguit: quamquam haud dubie falso Iungclaußenus lectionem 'Caelius' pro 'Lesbius' probat (p. 15).

Igitur per se spectatum hoc Schwabii argumentum petitum e carmine LXXIX stare non potest et, si quid in tanta rerum obscuritate affirmare licet, mihi quidem Doeblingii illa declaratio nominis 'Lesbius' valde arridet.

Sequitur iam ut de Caelio Rufo, aemulo Catulli, dicamus. Cuius congruentia cum M. Caelio oratore valde probari videtur, quod is quoque per tempus aliquod cum Clodia quadam (Publpii sorore) rationem habuit. Attamen hic quoque sat magna difficultates videntur obstare. Vix enim de M. Caelio oratore carm. LXIX vv. 1.2

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe velit tenerum supposuisse femur

v. 10. Aut admirari desine cur fugiunt.
possunt intellegi, qui et homo formosissimus videtur fuisse
cf. Cic. p. Cael. XV, 36. III, 6 et petebatur potius quam
repudiabatur a feminis cf. Cic. l. l.¹). Nam quamquam

¹) Cic. p. Cael. XV. XV, 36: 'Vicinum adolescentulum adspexisti: candor huius te et proceritas, vultus oculique perpulerunt:

Catullus c. LXIX certo paulum excessit modum veritatis (cf. c. LXXVII unde apparet Rufum illum cum Lesbia rationem habuisse), miram sane exaggerationem Schwabius imputat poetae (p. 87), si usque eo Catullum iudicat abreptum esse fervore odii ut prorsus veritatis terminum transsiluerit.

Cardo vero huius quaestione videtur versari in explicacione carminis C. Quod carmen Iunglaussenus prorsus neglexit respicere, Schwabius autem (p. 143) temporibus adulescentiae Catulli primis attribuit, quibus poeta Veronae vixerit neque dum Romae Lesbiam amare cooperit. Pergit ita: 'quae si vere et ad persuadendum probabiliter disputavimus, poeta, cum ad aetatem iuvenilem respiciens in carmine LXVIII versus illos

multa satis lusi: non est dea nescia nostri
quae dulcem curis miscet amaritatem
scriberet, eorum quae cum Aufilena olim luserat nescio
an memor fuerit: praesertim cum amore illo satis poetam
arsisse ex carmine C. 7 adpareat

cum vesana meas torreret flamma medullas'.

Ergone de alio quodam Caelio in carm. C. sermo est atque in ceteris carminibus? haec sententia nonne per se audacior est? et quam sibi similes sunt hi duo Caelii: uterque fuit amicus Catulli, uterque aliqua ratione amicitiam in amoribus Catulli praestitit (cf. C, 5. 6 cui faveam potius? Caeli tibi: nam tua nobis Perfecta exigitur unica

saepius videre voluisti: fuisti non numquam in isdem hortis, vis nobilis mulier illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum: non potes; calcitrat, respuit —';

ib. III, 6 'Nam quod obiectum est de pudicitia quodque omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est, id numquam tam acerbe feret M. Caelius, ut eum paeniteat non deformem esse natum; sunt enim ista maledicta pervulgata in omnes quorum in adolescentia forma et species fuit liberalis'.

amicitia¹⁾), carm. LXXVII, 1 'Rufe mihi frustra ac ne-
quicquam credite amico' v. 4 'Ei miserò eripuisti omnia
nostra bona'), quis est denique cui versus 7 huius carmi-
nis, quem Schwabius de Auflena intellegit:

'cum versana meas torreret flamma medullas'
non reducat in memoriam eos locos Catulli, ubi poeta
prorsus similiter de amoris sui in Lesbiam fervore loqua-
tur cf. e.g. LXVIII (b) 53 'Cum tantum arderem quantum
Trinacria rupes'. Sed est profecto carm. C, 7 de
amore Lesbiae intellegendus, neq; quidquam mihi videtur
certius esse quam hoc, Caelium carminis C eundem esse
at quo eum Caelium qui Catulli aemulus fuerit in amore
Lesbiae. Ironice igitur cupit poeta ut Caelius in amore
suo 'potens' sit, qui tam egregie de se meritus sit alien-
nando a se Lesbiam. Itaque hoc carmen C non ante amo-
rem Lesbiae sed potius hoc amore iam turbato scriptum
est. Deinde vero ex hoc carmine colligendum est Cae-
lium Rufum, aemulum Catulli, fuisse Veronensem (cf. v. 2).
Hoc autem minime videtur quadrare ad oratorem M. Cae-
lium Rufum. Cf. Cic. p. Cael. II, 5: 'Nam quod est ob-
iectum municipibus esse adolescentem non probatum suis,
nemini unquam praesenti praetoriani maiores honores ha-
buerunt, quam absenti M. Caelio'. Verbum 'praetoriani'
quod sine dubio corruptum est, omnes exhibit codices,
in uno codice, Parisino 7794, syllabae 'tori' huius verbi
a manu secunda in rasura scriptae sunt (cf. Halm. p. 1002)
certumque est delitusse hoc loco nomen municipii cuius-
dam, nam sine tali verbo nimis hic hiaret sententia. Si
vero desperandum fortasse est de emendatione huius verbi,
confidenter certe affirmare possumus aliud hoc loco deli-
tusse nomen ac 'Veronenses'. (Vulgatam lectionem 'Pu-
teolani' refutat Madvigius op. ac. I p. 391 cf. p. 244 not. 2

¹⁾ De sensu hūrus loci, quamquam corruptus est, dubitari ne-
quit. Lachmannus coniecit: 'per facta exhibita est unica amicitia'.

Halmius in ed. Caelianae p. 1451 extr. coniecit scribendum esse: ‘praesenti Tusculani’). Propter hanc vero difficultatem Schwabius ad tam artificiosam interpretationem carminis C videtur refugisse. Quae cum minime possit probari nihil aliud videtur restare quam ut negemus M. Caelium Rufum oratorem fuisse aemulum Catulli. Nam si quis dicet Caelium fortasse Veronae esse natum deinde in illud municipium transmigrasse cuius nomen Cicero l. l. attulit, hoc nullo testimonio probari potest nec verisimile est Catullum Caelium ‘florem Veronensem iuvenum’ appellasse, si is iam diutius Verona abesset. Quod autem Ribbeckius (l. l. p. 56) discernit inter Caclium Veronensem verum Catulli amicum et Rufum aemulum Catulli in amore Lesbiae monendum est hic celari tantum difficultatem cum ille Rufus aemulus Catulli nemo alias possit esse quam M. Caelius Rufus (si Lesbia erat Clodia quadr.) quem cum Clodia quadrantaria rem habuisse notum sit.

Labefactato vero hoc fundamento petito e similitudine Caeliorum illorum labefactantur simul temporum illae carminum Catulli definitiones quae huic fundamento superstructae erant atque est in incerto fueritne re vera Lesbia Clodia illa quadrantaria¹⁾ necne.

¹⁾ Perversa est Helbigii (l. l.) explicatio carminis XLIX Catulli, (cf. Ribbeck. l. l. p. 22. 52) quo carmine credit poetam gratias egisse Ciceroni propter Caelianam illam orationem qua tam vementer invetus sit in Lesbiam. Tantumne scelus commisit Catullus amando Lesbiam ut hanc ob causam pessimum se nominaret poetam? Accedit quod Catullus eandem locutionem ‘pessimus poeta’ XIV, 23. XXXVI, 6 aperte de ingenio non de moribus usurpavit. Ne multa — non laudavit Catullus hoc carmine Ciceronem (id quod omnibus interpretibus placuit) sed derisit, quod Cicero de eius poesi male iudicaverat. Cicero quid de poetis novis censuerit non ignoratur cf. Bernh. Grdrss. d. röm. Litt. p. 240. 241. — Schwabius fluctuat inter illam Helbigii interpretationem c. XLIX et alteram quam ipse proponit (p. 321) quae me quidem iudice multo est futilior.

Plura de Caelo Catulli aemulo invenies infra (pag. 17—21).

II.

Illas ob causas quas capite priore attuli cum conjectura illa Helbigii ceterorumque non satis certa videretur esse novum circumspicere coepi fundamentum unde egredienti mihi contingere ut aut refellerem funditus dubitationes illas de Clodia quadrantaria aut firmarem verumque investigarem carminum ordinem. Itaque indagare studui rebus per se spectatis eos nexus quibus singula concenterentur carmina. Qua in re multi fore fructus vidi duo momenta: quod persaepe vicinitas carminum congruit cum aequalitate eorum et quod intra certos fines persaepe ordo carminum respondet illis temporibus quibus singula deinceps scripta sunt carmina. Quae iam in oculorum obtutu ponam ab eo exorsus quod in capite posui.

A.

1. Nemo quod sciam dubitavit quin carmina II, III, V, VII primo tempori amoris Lesbiae sint tribuenda. Quibuscum carminibus coniunctum volo nobile illud carmen VIII, quod — si sententiam totius carminis spectas — nemo adhuc satis distincte videtur explicasse. Nullo vero modo Froehlichio (p. 697) Schwabioque (p. 359: 358 cf. p. 120. 118) possum assentiri qui inducti primo versu huius carminis magnum hiatum extare consuerunt inter carmina II, III, V, VII et carm. VIII; imo Schwabius eo progressus est ut carmen XXXVII ‘Salax taberna’ scriptum esse crederet ante carm. VIII, ut igitur tali temporis tribueret hoc carmen, quo poeta iam acerbissime de impudicitia Lesbiae questus esset. Sed infidelitatem opinor h. e. indulgentiam in aemulos minime exprobrat hoc carmine

VIII poeta Lesbiae, contra cum tristem eius solitudinem
poeta ita describat:

At tu dolebis, cum rogaberis nulla.

Scelestā, vaete! quaetibī manet vita!

Quis nunc te adibit? cui videberis bella?

Quem nunc amabis? cuius esse diceris?

Quem basiabis? cui labella mordebis?

hinc apparet nondum aemulos Catulli cum Lesbia rationem turbasse. Me quidem iudice poeta in hoc carmine de hac solum re queritur quod Lesbia iam se repudiarit cf. v. 9 'nunc iam illa non vult' atque ex ipsis versibus quos modo exscripsi colligi potest non diuturnum spatium interfuisse inter hoc carm. VIII ac primum illud tempus florentis concordiae inter Lesbiā et Catullū (cf. VIII, 18 cum cc. V, VII). Fortasse levis tantum dissensio quales et inter amantes existere solent hanc concordiam eo ipso tempore quo c. VIII scriptum est paululum turbaverat. Versus 1 vero huius carminis: 'Miser Catulle desinas ineptire' optime declaratur v. 2: 'Et quod vides perisse perditum ducas' ut minime sit necesse statuere v. 1 poetam sese exhortari ut ab illa cum Lesbia ratione recederet. — Ergo carmina II, III, V, VII, VIII non sine causa sibi vicina sunt.

2. Iam consideres quaeſo carmina XV—XXVI. Carminibus XV et XXI invehitur poeta in Aurelium quendam qui Iuuentium puerum a se velit alienare. Idem criminis dat Furio nescio cui in carm. XXIV v. 5 sqq., quo cum carmine coniungendum est c. XXIII, unde cognoscimus demum c. XXIV scriptum esse in Furium (cf. XXIV, b. 6 XXIII, 1). Utroque carmine poeta tenuitatem Furii derisit; in eandem sententiam scriptum est carm. XXVI. Quamquam enim optimi codices versum 1 ita exhibent:

'Furi villula nostra non ad austri'

arridet tamen eorum sententia qui pro 'nostra' 'vostra' scribendum esse censuerunt, lenissima enim mutatione ita concentus huius carminis cum XXIII, XXIV efficitur. In ta-

libus vero lectionibus auctoritatem vel meliorum codicum Catullianorum nihil valere Schwabius enumeratione multorum locorum, ubi litterae n et v confusae sunt affatim demonstravit (p. 154).

In ambos deinde, Furium Aureliumque, scriptum est carm. XVI, in Iuuentium vero carm. XXV, id quod primus Schwabius (p. 150—152) sensit .qui iudicavit nomen 'Thallus' non solum graecam esse conversionem nominis 'Iuuentius' sed formatum etiam ad similitudinem cognomini Talnae quod frequentissimum fuerit in familia Iuuentiorum: collatis certe eis carminibus quae iuxta inveniuntur hoc carmen recte demum potest intellegi. — Furius et Aurelius cum Catulli consuetudine uterentur codem tempore (cf. XVI, 2; XI, 1), quod tempus non longum potest fuisse quoniam unoquoque carmine nudo contemptu poeta eorum nequitiam putidamque deridet egestatem, apparet omnia illa carmina XV, XVI, XXI—XXVI sibi esse aequalia h. e. brevissimo tempore sese excepisse. [Interrumpuntur haec carmina in Aurelium, Furium, Iuuentium duobus aliis diversi generis XVII XXII. De c. XVII nihil dicere possumus, quod vero ad carm. XXII attinet quo Suffenus perstringitur fortasse non est fortuitum quod, ut hoc carmen in medio cyclo invenimus eorum carminum quae de Iuventio scripsit poeta, ita proxime ante primum huius. cycli carmen antecedit c. XIV, ubi idem Suffenus (v. 9)¹⁾ deridetur (intersunt vero inter carm. XIV et XXII

¹⁾ Ceterum illi videntur errare qui credunt praeter Suffenum Caesios, Aquinos malos poetas perstringi. Licet enim Aquinius quidam poeta nobis notus sit cf. Cic. Tusc. disp. V, 22, 63 quomodo credi potest tam inconcinne hoc loco locutum esse Catullum ut plurali numero diceret: 'Caesios, Aquinos' singulari 'Suffenum'? quantum equidem video, illa sunt librariorum nomina et inter verba 'scrinia' 'Caesios' subintellegendum est vocabulum 'ad' e verbis antecedentibus 'A d librariorum Curram scrinia'.

quattuor carmina; aliis locis Suffenus non commemoratur a Catullo). Hic quoque aequalitas videtur in causa fuisse.]

3. Carminibus XXXVII et XXXIX, quae uno tantum separantur carmine, de cuius tempore nihil afferre possumus, idem Egnatius commemoratur qui eodem nomine in utroque carmine irridetur XXXVII, 20 'dens Hibera defricatus urina' XXXIX, 17 sqq., et quamquam accurate demonstrari nequit haec duo carmina sibi esse aequalia res per se spectata hoc tamen maxime est verisimile.

4. Idem iudicandum est de carminibus XLI, XLII, XLIII. De carminibus XLI, XLIII dubitari nequit quin in eandem puellam sint scripta (cf. XLI, 4 XLIII, 5). Quod ad c. XLII attinet parum considerate credidit Froehlichius (p. 698. 715) et Schwabius (p. 75. 120), moecham istam turpem (XLII, 3) esse Lesbiam; quomodo enim de Lesbia cuius egregiam formam tam saepe praedicavit (XLIII 7. LI. LXXXVI. LXVIII (b) 131 sqq.) utri potuit Catullus tali lingua v. 8—10: 'Illa, quam videtis Turpe incedere, mimice ac moleste Ridentem catuli ore Gallicani'? Certo si re vera c. XLII ad Lesbiam spectat non est probabile Catullum ipsum huic carmini statim subiecisse c. XLIII quo carmine prorsus in contrarium sententiam de Lesbiae forma loquatur (7. 8). Accedit quod nullum in Lesbiam carmen extat simili atrocia scriptum, quae atrocia optime declaratur si eam directam esse credimus in procacem quandam meretriculam. Itaque mihi simplicissimum videtur esse hoc carmen coniungere cum carminibus XLI, XLIII atque iudicare hoc c. XLII in eandem scriptum esse puerilam cuius protervitatem Catullus c. XLI cuius formam c. XLI et XLIII deriserit.¹⁾

5. Sine dubio deinde carmina LXV et LXVI eodem orta sunt tempore. Scripsit enim poeta in c. LXV v. 16: 'mitto Haec expressa tibi carmina Battiadae' c. LXVI autem

¹⁾ De carminibus LVIII, LIX v. infra p. 19.

est conversio Comae Berenices Callimacheae. Carmen LXV paulo post fratris mortem scripsit poeta cf. v. 5 'Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris Pallidulum manans adluit unda pedem'. Paulo post mortem fratris etiam c. LXVIII^b scriptum esse e vementia doloris colligitur quem spirant vv. 90 sqq.: 'Troia — — —

Quaene etiam nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater adempte mihi,
Hei misero fratri iucundum lumen ademptum,
Tecum una tota est nostra sepulta domus,
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor'.

(cf. Iungclauss. p. 18 Schwab. p. 180).

Difficilius est iudicare de tempore carminis LXVIII^a. Hoc carmine Catullus Manlio cuidam qui eum rogaverat, ut animum suum (Manlii) morte uxoris gravissime fractum et concussum transmittendis carminibus amatoriis recrearet respondet se non esse parem iam tali muneri, interitu enim fratris sui tota se de mente fugasse talia studia atque omnes delicias animi. Eandem ob causam (cf. v. 27 'quare') valedixisse se amori Lesbiae, (de cuius impudicitia Manlius in epistola sua mentionem fecerat), ideoque sibi non turpe esse (id quod Manlius iudicarat), quod iam 'quivis de meliore nota Frigida deserto teperfactet membra cubili' sed augeri hac re tristitiam animi sui.

Ex versibus igitur 25 sqq. collendum est, poetam dolore de fratris morte commotum valedixisse amori Lesbiae. Iam si comparamus c. LXVIII^b quod non secus ac carmen LXVIII^a scriptum est post mortem fratris miramur quod ut aperte testantur versus 135 sqq. 159. 160 eo tempore quo hoc c. LXVIII^b scriptum est, Catullus cum Lesbia rationem habuit. Hoc certum est iam hanc ob causam incidentum esse post v. 40 carm. LXVIII. Ista vero difficultas remanet. Quam Schwabius ita studuit removere

(p. 125): ‘explicat — — hoc carmine poeta amorem renuntiatum inde quod animus suus dolore gravissimo affectus amoribus et lactitiae se dedere inpotens fuerit. quae explicatio poetae ipsius vereor ut omni ex parte rebus ipsis apta et consentanea sit. multo contra veri similius ei qui praecedentia apud se reputavit videbitur Catullum cui Manlio et veram amoris Lesbiae depositi caussam profiteri et illo sibi propter idem discidium infelicissimo tempore importune petenti satis facere grave et molestum fuit, recusationem suam dolore de fratriis morte vetere quam (id quod unice verum fuisse) dolore recenti ex Lesbiae repudio residuo excusare maluisse’.

Cui sententiae equidem nequeo accedere. (Cf. Ribbeckium l. l. p. 57). Ex v. 13 carminis LXVIII^a ‘Accipe quis merser fortunae fluctibus ipse’ certo colligendum est Manlio mortem fratriis nondum fuisse notam, incredibile igitur est multo post hanc mortem c. LXXVIII^a esse scriptum, cum non solum ex hoc carmine verum etiam ex c. LXI appareat quanta familiaritate Manlius cum Catullo coniunctus fuerit quod suadet ut opinemur paulo post mortem fratriis Manlium de hoc tristi eventu certiore esse factum: deinde videtur Schwabium fugisse Catullum dolorem suum de Lesbiae infidelitate c. LXVIII^a v. 30 libere confiteri, Manlium ipsum non ignorare statum amoris illius (v. 27): adde quod indignum est verissimo Catulli in fratrem amore tale ei imputare mendacium quo morte fratriis abusus sit turpiter. — Stet igitur nobis sententia re vera fratrem Catulli paulo ante hanc epistolam (c. LXVIII^a) mortuum esse quo dolore gravissime commotum primo valeridixisse poetam amori Lesbiae, qui iam turbatus erat infidelitate illius, adeo vero hunc amorem inrevisse animo poetae ut consilium illud abiiciendi amoris non diu posset servari ut redintregaret poeta consuetudinem suam cum Lesbia, quae consuetudo qualis fuerit eo tempore quo scripsit poeta c. LXVIII^b elucet ex vv. 135 sqq.

Ergo non post c. LXVIII^b sed ante hoc carmen scriptum est e. LXVIII^a; utrumque vero carmen et cc. LXV LXVI paulo post mortem fratris.

6. Carmina LXX et LXXII coniungenda esse primo docemur aspectu, cf. LXX, 1. 2:

Nulli se dicit mulier mea nubere malle

Quam mihi, non si se Iupiter ipse petat
cum LXXII, 1. 2:

Dicebas quondam solum te nosse Catullum

Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.

Ceterum in primis verbis carminis LXXII 'Dicebas quondam' vox 'quondam' ad illud ipsum tempus, quo carm. LXX scriptum est non potest referri, cum ita LXXII, 3. 4.

Dilexi tum te non tantum ut vulgus amicam

Sed pater ut gnatos diligit et generos.

prorsus non quadrent ad eam rationem qua c. LXX, 3. 4 de verbis illis Lesbiae iudicet:

Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,

In vento et rapida scribere oportet aqua.

sed credendum est florente concordia illa locutione Lesbiam esse usam, unde consequitur non accurate de praesenti tempore in c. LXX Catullum usurpasse verbum 'dicit' sed posuisse hoc praesens tempus e recenti memoria illius tempestatis qua Lesbia intimam concordiam illa ratione esset professa. (Itaque parum recte de hoc carmine LXXII Schwabius videtur expōsusse p. 81 extr.). Queritur vero poeta LXXII, 5 sqq. de infidelitate Lesbiae quae aemulum admiserit. Hic enim sensus videtur inesse in verbis 'iniuria talis' (v. 7), de illa enim iniuria vere dici potest 'cogit amare magis, sed bene velle minus'. Falso haec verba et carm. LXXV explicasse videtur Jungclaussenus qui ita scripsit in pag. 14: 'Die Zweifel des Dichters scheinen bald genug Gewissheit erlangt zu haben, so dass sein Gemüth sich von ihr wendet, wenn sie auch seine sinnliche Liebe noch fesselt (c. 72)'. Idem cadit in

Schwabium in hunc modum disserentem (p. 81): 'Catullus — — a se non dum impetrare potuit ut de amore illo, qui a corpore proficiscens ad corpus redibat, fortiter desisteret'. Uterque vir doctus parum videtur ponderasse vocabulum 'cogit' in v. 8 et comparativum 'impensis' in v. 5. Me quidem iudice hic locus de diversis *γηλοτυπίας* affectibus est accipiendus. — Hoc verum intercedit inter c. LXX et LXXII quod illud carmen tali tempore scriptum est quo tantum diffidit amori Lesbiae (cf. vv. 3. 4) hoc ubi primum cognovit poeta re vera a Lesbia sese esse deceptum. Nam paulo post quam Catullus cognoverit Lesbiae perfidiam hoc carm. scriptum esse colligendum videtur e verbis 'Nunc te cognovi'. Licet enim similia sint huic loco (LXXII, 5 sqq.) carmina LXXXVII (quo cum carmine coniungendum est c. LXXV) et LXXXV in universum, quae carmina per se spectata multo post illud temporis momentum scripta possunt esse ('Nunc est mens diducta tua mea Lesbia culpa' LXXV, 1 'Odi et amo'. LXXXV, 1) talis sententia de verbis 'Nunc de cognovi' ferri nequit, accurate enim loqui solent epigrammatum poetae.

Eodem vero tempore scriptum videtur esse carmen LXXI; cuius versus 1 sine controversia ita recte est emendatus: 'Si quo iure bono sacer alarum obstitit hircus' (codd. exhibent: Si quô viro bono sacrorum obstitit hircus' cf. de hoc loco Haupt. quaest. Cat. p. 91 sqq. qui recte urget postulari in v. 1 tale verbum quod eandem habeat significationem ac merito in v. 2); loquitur vero hic poeta de se persona secunda ut carm. LXXXIII, VIII, LII, quod is tantum poterit negare qui credat Catullo ocium fuisse ut aliorum quoque aemulos carperet; sola voce 'illa' designatur hic Lesbia ut cc. LXXVI, (23), VIII, 9. Ut autem hoc carm. eodem fere tempore scriptum esse putarem quo c. LXXII permotus sum versu tertio:

'Aenulus iste tuus qui vestrum exercet amorem'.

Etenim si diutius iam amor Lesbiae turbatus fuisse vel si plures iam aemulos admisisset Lesbia vix tam confidenter de suo amore locutus esset Catullus: accedit quod postea multo apertius multoque vementius aemulos impugnavit.

Quis vero erat ille primus aemulus Catulli qui c. LXXI perstringitur? Carmen LXXIII si accurate intuemur magnam animadvertisimus similitudinem inter eum in quem hoc carmen scripsit poeta et Caelium Rufum extare: uterque fuerat intimus Catulli amicus (LXXIII, 6: 'qui me unum atque unicum¹⁾ amicum habuit' C, 6 'unica amicitia'. cf. LXXVII, 1. 6) uterque hac amicitia perfide abusus erat ut Lesbiam poetae alienaret (LXXIII, 5 'quem nemo gravius nec acerbius urget' quae verba haud dubie testantur hominem illum in quem scriptum sit hoc carmen aemulum fuisse Catulli in amore Lesbiae; LXXVII 'Sicine subrepsti mi atque intestina perurens: Ei misero eripuisti omnia nostra bona?' cf. C, 5. 6). Unde iure optimo colligimus carm. LXXIII in Caelium Rufum scriptum esse, id quod primus Schwabius vidit (p. 85). Si vero diligenter examinamus gravissimas illas de falsa amicitia Caelii querelas, facile suspicamur Caelium non solum aemulum fuisse in amore Lesbiae sed etiam primum ei 'subrepsisse' cf. in primis c. LXXVII, 1—4:

Rufe mihi frustra ac neququam credite amico
(Frustra? immo magno cum pretio atque malo),
Sicine subrepsti mi atque intestina perurens
Ei misero eripuisti omnia nostra bona?

Quomodo quaeso ita Catullus appellare potuit Caelium, si alii iam aemuli ei amorem Lesbiae eripuerant, nonne significat poeta v. 4 antea velut suum bonum sese

¹⁾ Hoc minus quadrat ad alium quendam aemulum Catulli, Gellium, de quo poeta hoc tantum dicit XCI, 7: 'Et quamvis tecum multo coniungerer usu' —.

possedit amorem Lesbiae? In eandem sententiam carmen LVIII est interpretandum:

‘Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes’.

De hoc carmine legimus apud Iungclaussenum (p. 16): ‘— Damals schrieb Catull c. 58 an den Caelius, in welchem er die Prostitution der Clodia geisselt. Die frühere Nebenbuhlerschaft des Caelius erweckt nun keinen Zorn mehr bei Catull, er sagt dort mit ruhigem Sinn —’. Quocum Schwabius videtur consentire (p. 127): ‘— eodem fere tempore poeta non tam iratus et desperatione oppressus (ut carmine LXXVII —) quam animo aequo ac sedato carmen LVIII ad eundem M. Caelium Rufum misit’. — Omni igitur vi careat nomen ‘Caeli’ in capite huius carminis? ita sane sat languidum est hoc c. LVIII. Inducti videntur esse Iungclaussenus et Schwabius perversa hanc Statii explicatione verbi ‘nostra’ in primo huius carminis versu: ‘Nostram dicit, quod Coelius etiam Lesbiam, id est Clodium amarit’. Evidem contra iudico vocem ‘nostra’ hoc loco idem valere ac ‘mea’. Mirum enim in modum Catullus pro ‘meus’ ‘ego’ solet usurpare voces ‘noster’ ‘nos’ (cf. de pronomine secundae personae Schwabium p. 155), ita ut saepius primo aspectu non possimus dijudicare de pluribusne personis sint intellegendae necne cf. LXXXVII, 6 ‘Rufe — nostrae pestis amicitiae’ LXXXIII, 3 ‘Mule nihil sentis? si nostri oblita taceret’ XCI, 1. 2: ‘Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum In misero hoc nostro, hoc perditio amore fore’. Itaque nihil obstat quominus hic quoque per licentiam poetam voce ‘nostra’ usum esse credamus. Accedit quod prorsus eodem modo poeta amicam suam iam c. XLIII, 7 ‘Lesbia nostra’ nominaverat: quod propterea affero quod persaepe in diversis carminibus ea-

dem Lesbiam designandi ratio recurrit¹⁾). Ita vero si inter pretamur verba 'Lesbia nostra' videmus nomen 'Caeli' in capite carminis LVIII hanc habere vim ut ei criminis tacite detur quod Lesbia adeo degeneraverit. Cui carmini cum gaudio quodam subicxit poeta carmen LIX, unde eluet non minus quam Lesbiam Caelum removisse se a pristino decore. Hinc apparet falsam esse Ribbeckii (p. 56) explicationem huius carminis. — Tali vero ratione qua insimulari Caelum carmine LVIII demonstrare studuimus non potuit increpare Catullus hominem illum nisi si is primus corruperat Lesbiam. Ergo iam iure optimo possumus contendere carmine LXXI, quod in primum aemulum scriptum esse supra probare conati sumus, invehi Catullum in Caelum Rufum, quod eo praeterea egregie confirmatur quod item Rufus hirco laborabat (LXIX, 6) atque ille in quem c. LXXI scriptum est (cf. v. 1). Nam si quis dicet male quadrare c. LXIX, 1. 2.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,

Rufe, velit tenerum supposuisse femur
ad c. LXXI unde appareat eum in quem hoc carmen scriptum sit rem habere cum Lesbia is meminerit in eundem Rufum, in quem illud carmen LXIX, carmen LXXVII quoque scriptum esse, excedi igitur veritatis modum c. LXIX.

Insunt vero in c. LXIX indicia in aemulum Rufum hoc carmen esse scriptum: turbata demum amicitia inter Catullum Rufumque ortum esse hoc carmen ipse tenor

¹⁾ Mea puella II, III, XI, XIII, XXXVI mea Lesbia V, LXXXV, LXXXVII Lesbia VII, LI, LXXII etc. puella XXXVII, LXXVII 'mea vita' CIV, CIX. — Haec vero norma est causa cur Schwabio non possim assentiri qui iudicaverit (p. 82) carmen XL ad Lesbiae amorem spectare, locutio enim 'meos amores' XL, 7 videtur suadere ut hoc carmen ad Iuuentium referamus qui ita haud dubie designatur XV, 1. XXI, 4.

huius carminis docet, propter Lesbiam autem hanc amicitiam turbatam esse apparet e carminibus LXXIII, LXXVII; deinde quamquam generaliter dixit Catullus: 'Noli admirari quare tibi *femina nulla*' (v. 1), 'Aut admirari desine cur fugiunt' (v. 10) haec tamen ad Lesbiam videntur spectare, id quod leniter significasse videtur poeta v. 8 'nec quicum *bella puella* cubet'.

Ergo coniungenda sunt haec carmina LXIX—LXXIII quae carmina et bella gradatione sese excipiunt et sine dubio de industria a Catullo ita sunt ordinata ut unicuique in Caelium carmini tale subiiceretur carmen quod in Lesbiam scriptum esset.

Iam vero subsistamus paulum ut videamus num ea quae modo de Caelio Rufo aemulo Catulli ex carminibus poetae collegimus quadrent ad M. Caelium Rufum oratorem. Si Lesbia fuit soror illa P. Clodii, Caelius Rufus aemulus Catulli ille M. Caelius Rufus, primo 'miramur quomodo fieri potuerit ut huic homini carmine LVIII quo sane ex animi sententia loquatur Catullus vilem Lesbiae prostitutionem criminis dederit. Schwabius (69. 70.) recte intellexit non cogitari posse verum fuisse Clodiae quadrantariae in Catullum amorem sed deceptum esse poetam ab initio lenocinii artibus. Hoc vero eo tempore quo c. LVIII. scriptum est poeta haud dubie iam cognoverat; itaque perspexerat quoque iam antequam rationem iniret cum Caelio eam moribus turpissimam fuisse. Anno 695—59 demum¹⁾ M. Caelius Clodium amare coepit quo tempore femina illa triginta quinque certe annorum (Clodium non post annum 660—94 natam esse Schwabius demonstravit p. 56—60. M. Caelius Rufus demum anno 672—82 natus est cf. Plin. n. h. VII, 50 Drum. Gesch. Roms II p. 411 not. 55) iam satis vitiis videtur dedita fuisse; eo ipso enim anno cum moreretur coniux Clodiae omnes huius mortis culpam in

¹⁾ Hoc accurate demonstravit Schwabius (p. 56—60).

eam contulerunt (cf. Cie. p. Cael. XXIV, 60 Schwab. p. 61). — Adde quod aemulus Catulli Caelius Rufus non solum hirco sed etiam podagra laborabat, id quod iam ex carmine LXXI colligere possumus — M. vero Caelius Rufus excellebat saltandi arte (cf. Macrob. Sat. II, 10 extr.) An hic quoque talem exaggerationem deprendimus qualem ex carmine LXIX statuit Schwabius (p. 87)? Cur autem falsa tantum obiecit ei Catullus, nonne alia et veriora illi potuit reprobrare in quo sane permulta videntur vituperanda fuisse (cf. Drum. l. l. p. 421 sq.)?

Iam ut redeamus ad eam quaestionem de qua hoc capite agimus, de eis carminibus quae excipiunt carmen LXXXIII difficilius est disserere quia hic ordo carminum videtur esse turbatus. Scaliger enim cum recte videret c. LXXXVII clausula carere subiungendum ei esse censuit carm. LXXV. Quam sententiam comprobavit Lachmannus tantum primum versum alterius illius partis aliter studuit emendare. Legitur autem ita hoc carmen apud Lachmannum:

LXXXVII Nulla potest mulier tantum se dicere amatam

Vere, quantum a me Lesbia amata mea es
Nulla fides nullo fuit unquam foedere tanta,

Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

LXXV Nunc (codd. Huc) est mens diducta (codd. deducta; Scal. adducta) tua, mea Lesbia culpa,

Atque ita se officio perdidit ipsa suo,

Ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Hac igitur conglutinatione optimum evadit carmen. Ut vero separationem illarum partium declararet Lachmannus iudicavit eas duas paginas quae impletur carminibus LXXVII — LXXXVII ponendas esse ante eam in cuius capite carm. LXXV invenitur. Cf. de hac re Haup-tium quaest. Cat. p. 38—41, qui demonstravit valde esse veri simile re vera carminis LXXXVII v. 4 in finem paginac

cuiusdam codicis archetypi LXXV, 1·vero in initium alias cuiusdam paginae incidisse. Carmina LXXVII—LXXXVII (quae carmina duas paginas implet) continere quidem sexaginta octo versus quod videri repugnare Lachmanni sententiae qui iudicarit singulas paginas in cod. arch. tricenos continuisse versus: sed hanc speciem tantum esse declinationis; cum enim in codicibus nostris carm. LXXXIV, 3, 4 (Et tum mirifice, Cum quantum) falso post v. 10 (Cum subito) huius carminis, LXXVII, 7—10 (Sed nunc-loquatur anus) falso post c. LXXVIII transpositi essent, credendum esse illas partes ab eo qui cod. arch. scripsisset, primo omissas deinde in margine scriptas esse, unde eae ortae essent transpositiones. Igitur restare numerum 62 versuum qui ad 60 versus facile possent redigi si censeremus eundem librarium sive alterum sive tertium distichum carminis LXXVIII quorum capita simillima essent primo omisssis deinde in margine posuisse. — Contra Lachmannum Hauptiumque complura monuit Bergkius (Zwei Gedichte Catull's Rhein. M. n. F. XV p. 507—513) primo: illos quattuor versus qui in codd. post. c. LXXVIII invenirentur (Sed nunc id doleo e. q. s.) non apte coniungi cum carm. LXXVII, nam et prorsus absolutum esse hoc carmen v. 6 neque ad sententiam totius carminis quadrare illud vituperium quod versus illi quattuor continerent; contra aptissime coniungi hos versus cum c. LXXX. Quibus equidem obiecerim c. LXXVII mancum esse nisi illi quattuor versus subiificantur, cum in sex illis versibus tantum formae praeteriti temporis inveniantur 'subrepsti' 'eripuisti' (v. Hauptium l. l. p. 38 qui hoc argumento primus ingeniose usus est disserens de maneo carmine LXXV), neque ullam iustum offenditionem habere carminis illa ratione conglutinati clausulam, sed esse hanc ipsam clausulam cuius tenor sane multum distet a versibus antecedentibus gravissimum testimonium animi vementer concussi: contra c. LXXX v. 8 absolutum esse, subiunctis vero illiis

quattuor versibus de tribus personis sermonem esse quarum inter binas quidem Victorem et Lesbiam nullus intercesserit nexus, qualis nexus non desideretur inter Caelum Catullum Lesbiam de quibus in c. LXXVII sermo sit. — Praeterea contendit Bergkius etiamsi Hauptii de octo illis versibus numerum 60 versuum superantibus probaretur praeter Lachmanni transpositionem de alia quoque posse cogitari hac:

1. in fine primae paginae (67): LXXIV.
2. in altera pag. quae in cod. arch. falso post quartam sequatur (68): LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. (30 vel 34 versus).
3. in tertia pag. (69): LXXV. LXXVI. (30 versus).
4. in quarta pag. (70): LXXVII. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. (30 vel 34 versus).
5. in quinta pag. LXXXVIII sqq.

Iudicat igitur Bergkius carminis LXXXII versus 1.2. omissos esse primo deinde in summa margine paginae insequentis positos esse; sed hic non videmus externam quandam, ut ita dicam, causam qua deceptus potuerit librarius omittere illud primum distichum, quae in tali rerum obscuritate desiderari iure solet; quod non cadit in Hauptium, nam sine dubio facile potuit accidere ut librarius alterum vel tertium carminis LXXVIII distichum omitteret.

Sed miror cur Hauptius praeter illas transpositiones de quibus dubitari nequit, (LXXVII 7—10 LXXXIV 3.4.) tertiam circumspexerit, nonne simplicissime rem absolvere possumus si iudicamus non quattuor illos versus LXXVII 7—10 sed sex illos versus quibus constet carm. LXXVIII primo omissos deinde in margine positos esse iuxta carm. LXXVII v. 7 sqq.? Quod si statuimus multo sane probabilior est Lachmanni transpositio quam Bergkii: in illa igitur acquiescamus. Nam quod postremo in universum impugnat Bergkius Lachmanni de tricenis versibus in sin-

gulis cod. arch. paginis iudicium, hoc negligere possumus quia argumentatio desideratur qua illud sat probabile iudicium refutetur.

Illa vero Lachmanni transpositione factum est ut carmen LXXVII ‘Rufe mihi frustra ac neququam credite amico’ uno tantum seiungatur carmine ab illo cyclo carminum LXIX—LXXIII de quo supra disseruimus: certo enim cc LXIX, LXXI, LX XIII, LXXVII confessim sese exceperunt, longiore vero temporis intervallo ab his carminibus distant carmina C, LVIII quibus idem Caelius perstringitur: praeter haec autem sex carmina nullum in Caelium carmen invenitur in libro Catulli.

7. Consulto deinde composita sunt carmina LXXXVII et LXXVI quorum argumentum sit simillimum (hoc iam Bergkius l. l. p. 513 vidit).

8. Eidem porro tempori deberi carmina in Gellium LXXXVIII—XCI dubitabit nemo concedere cum in uno quoque de nefando eius cum matre et sorore sermo sit incestu.

9. Coniungenda deinde esse nemo non videt carmina XCIII, XCIV (haud dubie nexus causalis intercedit inter haec duo carmina);

10. Carmina CVII, CIX de reconciliatione Catulli cum Lesbia;

11. CX, CXI in Aufilenam;

12. CXIII, CXIV, CXV in Caesarem Mamurramque.

De carmine CXIII iam Scaliger ita indicavit: ‘Quodsi historia quaedam hic intelligeretur, de solis Mamurra et Caesare tantuin sermo esset, ut illos Moechorum signiferos dicat fuisse’. Quae sententia nisi fallor iam omnibus est probata (cf. de hoc carmine Schwabium p. 210—221) et optimo quidem iure, nam prorsus in eandem sententiam scriptum est c. LVII (cf. in primis LVII, 8—9. ‘Non hic quam ille magis vorax adulter, Rivalessocii puellularum’);

eadem vero trias Pompeius, Caesar, Mamurra perstringitur etiam carmine **XXIX.**

B.

Secundo loco contendimus intra certos terminos ordinem carminum videri accomodatum esse ad decursum temporis. Ad quam quaestionem iam transgrediamur.

1. Ut a certioribus ordiamur primo quaeso mecum perlustres carmina LXIX—CXVI. Praecedunt hic ea carmina quae turbato amore Lesbiae scripsit poeta LXIX—CVI, secuntur apte carmina CVII CIX quibus reconcilationem cum Lesbia celebrat poeta (in antecedentibus carminibus nullum invenitur quod tali tempore scriptum sit, quo iam in perpetuum Catullus Lesbiae amorem renuntiaverit). In priore serie carminum (LXIX—CVI) antecedunt ea carmina quae in Caelium scripsit poeta eaque quae cum his artissime cohaerere vidimus, secuntur carmina in ceteros aemulos: Caelium vero primum aemulum fuisse Catulli in amore Lesbiae supra sat probabiliter videmur demonstrasse. (cf. 5. p. 17. 18). Ut iam ad singula carmina descendamus recte sese excipiunt carmina LXIX—LXXIII, LXXVII; nam paulo post c. LXX c. LXXII scriptum esse supra demonstrare conati sumus (p. 16), carmina vero in Caelium scripta (LXIX, LXXI, LXXIII, LXXVII) tali ratione ordinata esse elucet, ut prioribus carminibus tec-tius perstringatur Caelii perfidia carmine LXXVII demum apertius. Carmen LXIX vero ante cetera in Caelium carmina scriptum esse appareat, nondum enim contigerat eo tempore Caelio venire in favorem Lesbiae cf. v. 10 vel eo tempore nondum perspicerat certe Catullus Lesbiam Caelium sibi anteponere (supra hoc carmen LXIX explicavi cf. p. 19). — Unum restat carmen in ea parte carminum de qua agere instituimus, quod in Caelium scriptum est: carmen C. Longiore igitur intervallo hoc carmen separatur ab eis de quibus modo disseruimus, et recte qui-

dem, nam longiore tempore post illa carmina hoc esse scriptum appetet e versu 5 sqq.

Caeli tibi: nam tua nobis.

Per facta exhibita est unica amicitia,

Cum vesana meas torreret flamma medullas.

Scriptum est hoc carmen C tali tempore quo Quintius summoto iam Catullo Aufilenae amore fruebatur. Et hic ordo carminum rectus est, nam ante hoc carmen C invenimus illud carmen (LXXXII) quo Quintum obsecrat poeta ne sibi eripiat amorem Aufilenae. Fortasse ad eandem Aufilenam spectat carmen LXXXVI, ibi enim eam ob causam Quintia videtur appellari quod iam Quintius eum ea rationem habet (cf. supra p. 4 de nominibus 'Rufa' 'Lesbius'). Quod si verum est hoc quoque carmen apte est positum post c. LXXXII. Duo praeterea extant carmina in Aufilenam CX, CXI quae sine dubio post c. LXXXII sunt scripta.

Quod vero c. LXXXII inter ea invenimus carmina quae turbato amore Lesbiae scripsit poeta hoc quoque recte se videtur habere, nam per se est probabile post illius demum amoris perturbationem Catullum coepisse Aufilenam amare, id quod fortasse etiam e carmine C potest colligi.

Restat ut ea carmina quae in Gellium scripsit poeta consideremus. Sunt haec carmina LXXIV, LXXX, LXXXVIII, LXXXIX, XC, XCI, CXVI. Ex carmine demum XCI cognoscimus Gellium fuisse aemulum Catulli in amore Lesbiae cf. vv. 5. 6.

Hac ipsa causa Schwabius videtur esse commotus ut hoc carmen ante cetera in Gellium carmina excepto carmine CXVI iudicaret esse scriptum (cf. Schwab. p. 102), quae vero causa nulla est. Neque eiusdem viri docti de carmine CXVI possum probare sententiam, qui (p. 101. 102) contenderit carmen CXVI primum omnium in Gellium esse carminum. Ita autem interpretatur hoc carmen: Gel-

lium praelatum Catullo eo insolentiae processisse ut eum turpiter a Lesbia perfida desertum cavillaretur nihil mitigatum studio poetae qui cum transmissis Callimachi carminibus lenire cuperet. Haec explicatio mihi quidem per quam mira videtur. Nonne enim potius Catulli erat invehi in Gellium qui eum turpiter deceperat (cf. carm. XCI) sicuti Caelium ubi primum aemulus factus erat haud cunctantur agressus est? Deinde vox 'telis' in v. 4. 7 non potest intellegi de cavillationibus sed de carminibus contumeliosis, quem sensum haud dubie eadem vox habet in v. 8.:

'At fixus nostris tu dabi' supplicium'
ubi subintellegendum certo est verbum 'telis' e versu antecedente:

'Contra nos tela ista tua evitamus amictu'.

Has ob causas mihi redeundum videtur esse ad hanc Mureti aliorumque explicationem: Catullum postquam sex illa carmina in Gellium scripsisset (LXXIV, LXXX, LXXXVIII, LXXXIX, XC, XCI) causa nescio qua commotum voluisse in gratiam redire cum eo, illum vero perrexisse carminibus in Catullum invehi sicuti antea epigrammatis Catulli respondissit carminibus contumeliosis¹⁾). Itaque recte hoc carmen post illa epigrammata est positum. Sed qua re commotus cupivit poeta in gratiam redire cum Gellio? Evidem credo hoc carmen scriptum esse post reconciliationem cum Lesbia quae fortasse hanc proposuerat condicionem ut alterum amatorem, Gellium, quem praeter Catullum fovebat mulier illa impudica, desineret impugnare. Tale quid collendum videtur ex tristi illo loco LXVIII (b) 135—137.

Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo

Rara verecundae furta feremus erae,

Ne nimium simus stultorum more molesti.

¹⁾ Hoc fortasse respexit Catullus XXXVII, 13: 'Pro qua mihi sunt magna bella pugnata'.

Itaque non sine causa hoc carmen CXVI et post carmina illa contumeliosa in Gellium et post carmina CVII et CIX videtur esse collocatum.

Videtur igitur ordo carminum LXIX—CXVI accurate decursui temporis esse accommodatus. (cf. infra p. 38 sqq.) Nullum afferri poterit carmen quo concedere cogamur hanc normam esse desertam. Duo tantum carmina videntur primo aspectu repugnare: LXXXI ‘Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi, Bellus homo, quem tu diligere inciperes Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri Hospes —.’ XCIX. ‘Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi, Saviolum dulci dulcius ambrosia —.’ Sed minime colligendum est e carmine LXXXI Catullum eo tempore quo hoc carmen scriptum sit discessisse prorsus a consuetudine Iuventii.

2. Quod deinde ad carmina LXI—LXVIII^b attinet, de his nihil dicere possum nisi haec: recte carmen LXI quo carmine nuptias Manlii amici sui celebrat poeta (cf. 16—20) positum esse ante carmen LXVIII^a, nam eo tempore quo carmen LXVIII^a scriptum est, uxor Manlii iam mortua erat cf. vv. 1—6.: de uxor's enim morte hic sermonem esse certissimum est (cf. ut alios omittam Schwabium p. 342—344); deinde apte carmen LXVIII^a positum est ante carmen LXVIII^b, si supra recte de hoc carminum pari iudicavi (p. 13—15).

3. Transeamus iam ad eam partem libri Catulli qui continet carmina II—LX. Praecedunt hic ea carmina quae haud dubie primo tempori amoris Lesbiae debentur (II, III, V, VII, VIII, XIII v. 12. 13 ‘Nam unguentum dabo, quod meae puellae Donarunt Veneres Cupidinesque’) sequuntur talia carmina quae amore turbatum testantur: XXXVI, XXXVII, LVIII: in quo numero etiam carmen XLIII est nam ex carminis XLI v. 2:

Tota milia me decem poposcit
haud dubie colligendum cum ‘Decoctoris’ illa ‘amica For-

miani' Catullum rationem habuisse antequam his carminibus XLI. XLIII in eam invehernetur, quam rationem vix habuit poeta florente concordia inter ipsum Lesbiamque (cf. Schwab. p. 141). Quod denique ad carmen LI attinet 'Ille mi par esse deo videtur' per se non est necessarium tribuere hoc carmen primo tempori amoris Lesbiae. — Recte post c. XXIX (in Caesarem Mamurram Pompeium) collocatum est carmen LIV (in Caesarem), certo enim versus 6. 7 carminis LIV

Irascere iterum meis iambis
Inmerentibus unice imperator.

referendi sunt ad c. XXIX quo acerbius nullum in Caesarem caramen invenitur in libro Catulli deinde locutio 'unice imperator' in LIV, 7 haud dubie repetita est e XXIX, 11. 12

Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula —.

Apte denique post caramen V positum est carm. XVI, sine contraversia enim XVI, 12. 13.

Vos quod milia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis?

aperte respicitur ad V, 10:

Dein cum milia multa fecerimus sc. basiorum.

Sed non pauci sunt illi loci quibus temporum ratio neglecta est. Omisimus supra caramen XI quo atrocissime cum renuntiet poeta Lesbiae amorem v. 15—24 appet novissimum hoc omnium esse carminum ad Lesbiam spectantium excepto tantum carmine LVIII, illa igitur carmina quae inveniuntur inter c. XI et LVIII: XIII, XXXVI, XXXVII, XLIII, LI sine dubio ante c. XI sunt scripta, et quamquam turbato demum amore Lesbiae c. XLIII scriptum esse modo contendimus quod potest etiam de c. LI statui, tamen non est veri simile haec carmina scripta esse post trucissimum illud c. XXXVII 'Salax taberna vosque contubernales' (carmen XIII vero num prius sit carmine

VIII necne diiudicari non poterit cf. de carm. VIII s. p. 9. 10). Procul dubio denique ante cc. IV, X alia conditum est c. XLVI quod carmen scripsit poeta reversurus e Bithynia (cf. v. 4 'Linquantur Phrygii, Catulle, campi'). Haec omnia librariis nequeunt imputari. Si igitur supra de carminibus LXIX—CXVI, LXI—LXVIII^b vere iudicavi exponendum mihi erit quomodo fieri potuerit ut cum hic poeta temporum rationem haberet idem facere neglegeret in ordinandis carminibus II—LX. De qua re v. infra p. 33.

Sed hoc eluxit, nisi fallor, ex eis quae sub A et B composui citius Froehlichium (l. l. p. 695—699) omnem prorsus ordinem toti libro Catulli abiudicasse qua in re monendum praeterea est, Froehlichium exempla sua tantum ex carminibus II—LX petisse. Graviora vero ea sunt quae in eadem commentatione de partitione libri nostri disseruit (p. 693—695). Tripartito ait videri librum nostrum divisum esse ut prima pars ea contineret carmina quae iambicis similibusque metris (I—LXI) altera ea quae heroicis hexametris et galliambis (LXII, LXIV, LXIII) tertia ea quae elegico metro scripta essent. Apparere quidem voluisse ita quendam carmina ordinare metra respondentem, hoc vero tam inconstanter esse factum ut haec divisio Catullo ipsi non posset tribui.

Hoc certum est esse nobis rem cum partitione quadam frustra enim circumspicies carmina elegico metro conscripta in priore, frustra hendecasyllabos ceteraque metra quae in carminibus II—LX occurrunt in altero dimidio libri. Haec divisio ubicunque termini singularum partium statuendi sunt, consilio orta esse ita tantum negari potest, si demonstrabitur Catullum ultimo tempore solo elegico metro usum esse, atque ceteris metris quae antea usurpasset, postmodum prorsus abstinuisse (a tali sententia egressus est Zelli in scriptione sua 'Catulls Liebe' Feienschr. I p. 127—138). At certo carmina LXIX—LXXXIII

(v. supra p. 15 sqq.) scripta sunt ante c. LVIII, XXXVII (cf. v. 13 'Pro qua mihi sunt magna bella pugnata') ante quae carmina (LVIII, XXXVII) certo etiam carmina CVII et CIX sunt scripta. — Cum vero antea viderimus carminum LXIX—CXVI ordinem accurate adaptatum esse cursui earum rerum de quibus agitur in his carminibus, quaeritur num hoc de tota illa parte quae continet carmina elegico metro conscripta (LXV—CXVI) possimus statuere: quod nego, nam LXVIII^a (cf. v. 28. 29. 'Quod hic quisquis de meliore nota Frigida deserto tepefactet membra cubili') et LXVIII^b (cf. v. 135 'Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo') non possunt esse scripta ante carmina LXIX—LXXXIII. Si igitur solam temporum rationem respicimus incidendum est inter carmina LXVIII^b et LXIX. Ab altera parte carmen LXVIII^b (cf. eundem versum 135 et sqq.) ergo carmina LXV quoque LXVI, LXVIII^a quae eodem fere tempore quo c. LXVIII^b scripta esse supra demonstrare conati sumus (cf. p. 14—15) non possunt esse composita post carmen LVIII, ante c. LXVIII^a vero scriptum est carmen LXI (cf. p. 28), itaque incidendum hic videtur esse inter carmina LVIII et LXI vel inter carmina LIX et LXI nam sicut supra (p. 19) probare conati sumus carmina LVIII et LIX artissime cohaerent. Iam si ea carmina quae inter hos duos terminos LIX et LXIX sunt posita contemplamur, hoc carminibus LX—LXVIII^b est commune quod omnia doctam operosamque imitationem Graecorum exemplarium spirant, cum ceterorum carminum tenor et simplicior et levior sit, ita ut suspicemur consulto poetam haec carmina in unum compoisse locum, cum praesertim his carminibus famam 'docti' deberet 'poetae'. Magno opere gavisus sum cum viderem eandem sententiam iam Baehrio (Gesch. der Roem. Litt. § 122. 123) placuisse. Itaque iudicandum videtur esse bipartito in universum Catullum divisisse summam illam CXVI carminum, ita ut unum genus contineret carmina

LXI—LXVIIIP^b alterum II—LX, LXIX—CXVI in hoc altero genere eum seorsum collocasse carm. LXIX—CXVI dactylico metro conscripta, utpote quae maximam partem propriam haberent naturam: epigrammaticam (inter carmina II—LX nullum verum epigramma invenitur). Quod vero carmina LXIX—CXVI non excipiunt continuo carmina I—LX, fortasse item debetur poetae qui has duas classes separatas voluit esse ea parte quae forte continet carmina longiora: quamquam multo credibilius est alium quendam carmina LXIX—CXVI transposuisse in finem libri, ut continua eorum efficeretur carminum series, quae elegico metro scripta essent. Ab hac igitur mea de partitione libri Catulli sententia egredienti liceat mihi in gratiam brevitatis cc. I—LX primam, cc. LXI—LXVIIIP^b alteram, cc. LXIX—CXVI tertiam nominare partem (respecto ordine tralaticio).

Fortasse illud meum iudicium confirmabitur refutanda ea sententia quam Froehlichius de pristino libri habitu tulit (cf. Froehl. l. l. p. 699—702; 712—713. 692. 693). Cuius summa haec est: singulorum carminum Catulli talem esse naturam ut exceptis paucissimis non possint bene intellegi nisi ceteris carminibus collatis, itaque veri esse simillimum poetam (qui — quod recte urget Froehlichius — ipse librum suum ediderit cf. carm. I) per universum librum ita singula carmina ordinasse ut accurate cum eis temporibus quibus scripta sint processerint. Talem vero ordinem prorsus desiderari; contra invenire nos in libro nostro divisionem, qua carmina ad normam metrorum ordinata sint, tam inconstantem ut poetae ipsi non possit tribui. Ergo probabile esse veterem quendam codicem unde textus noster ortus sit, ita forte mutilatum esse, ut pristinus membranarum ordo prorsus deletus sit, quod in causa fuisse ut grammatica quidam novum ordinem inferre studuerit separandis carminibus ad normam metrorum tam ineptus ut e. g. galliambos (carminis LXIII)

potuerit confundere cum hexametris (cf. Froehlich. l. l. p. 695).

Contra quae haec mihi videntur monenda esse: primo ordinem certe carminum LXIX—CXVI non pugnare cum temporibus quibus singula deinceps carmina scripta sint itaque non esse veri simile veterem illum codicem tam valde fuisse confusum et si quis re vera carmina metra respiciens segregaverit in hac mutatione cum accurate ordinem pristinum in singulis carminibus quod ad cc. LXIX—CXVI attineat servasse; deinde etsi cogitari possit grammatica usque eo indoctus ut galliambos e. g. confuderit cum hexametris eodem modo non posse excusari quod strophica carmina XI, XXXIV, LI, LXI inter talia inventiamus quae longe distent ab illis si metra spectemus; denique ineptum istum grammaticam non potuisse sentire quac similitudo intercesserit inter carmina LXI—LXVIII^b ut hanc ob causam ea composuerit.

Ergo haec Froehlichii sententia, quamquam per se spectata valde est speciosa, me quidem iudice non potest servari videturque acquiescendum esse in ea quam ego supra proposui. Si vero ita ut equidem iudicavi divisit Catullus librum suum, parti tertiae, quam vocavi, id erat proprium ut huc consisterent talia carmina quae aut nullo aut brevissimo spatio sese exceperint, ut hic operae esset pretium ita ea ordinare sicuti singula deinceps carmina scripta essent, id quod re vera factum esse supra p. 25—28 demonstrare conati sumus; contra nullius fere erat fructus eadem ratione ordinare carmina primae partis, cum hic fere semper transitus desiderarentur quod minime cadit in carmina tertiae partis (cf. p. 42—44).

Sed haec ut spero clariora fient in capite III ubi de eis carminibus quae ad Lesbiam spectant disseram.

III.

Primo colligam ea carmina primae partis quae ad Lesbiam sunt referenda, quod ita faciam ut simul eos exscribam locos quibus ad definienda carminum tempora utendum est.

- Carm. II Passer deliciae meae puellae
 Carm. III Lugete o Venēres Cupidinesque —
 Passer mortuus est meae puellae
 Carm. V Vivamus, mea Lebia, atque amemus
 carm. VII Quaeris, quot mihi basiationes
 Tuac, Lesbia, sint satis superque.
 carm. VIII Miser Catulle desinas ineptire,
 Et quod vides perisse perditum ducas.
 carm. XI vv. 15 sqq.:

Cum suis vivat valeatque moechis,
 Quos simul complexa tenet trecentos,
 Nullum amans vere, sed identidem omnium
 Ilia rumpens :
 Nec meum respectet, ut ante, amorem —

carm. XIII, 11. 12:

Nam unguentum dabo, quod meae puellae
 Donarunt Venēres Cupidinesque.

carm. XXXVI, 4. 5:

Vovit (mea puella), si sibi restitutus essem
 Desissemque truces vibrare iambos —

carm. XXXVII, 11—14:

Puella nam mi, quae meo sinu fugit,
 Amata tantum quantum amabitur nulla,
 Pro qua mihi sunt magna bella pugnata
 Consedit istic.

carm. XLIII, 6. 7. 8 (cf. carm. XLI):

Ten provincia narrat esse bellam ?
 Tecum Lesbia nostra comparatur ?
 O saeclum insapiens et infacetum !

carm. LI, 1—7:

Ille mi par esse deo videtur
Ille, si fas est, superare divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat et audit.
Dulce ridentem — — Lesbia.

carm. LVIII:

Caeli Lesbia nostra — —
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Hoc primo aspectu apparet, carmina II, III, V, VII primo tempori amoris Lesbiae tribuenda esse, carmina vero XI et LVIII ultimo.

Jungclaussenus (p. 16) et Schwabius (p. 128) cur iudicarint carm. XI scriptum esse post carm. LVIII equidem nequeo perspicere. Nam non est veri simile tum demum discessisse prorsus Catullum a Lesbia cum illa iam cum infima sorde consuesceret. Proxime ante carm. XI carmen XXXVII videtur esse scriptum nam simillimae in utroque carmine occurunt contumeliae (confer XXXVII, 6. 7 ‘An continenter quod sedetis insulti Centum adcenti —’ cum illis versibus carminis XI quos supra exscripsi), accedit quod praeter hoc carm. XI nullum atrocius in Lesbiam carmen scripsit Catullus. De carminibus XLIII et LI iam supra disseruimus (p. 28. 29), carmen XLIII non esse addendum carminibus illis II, III, V, VII quae primo tempore amoris Lesbiae scripta essent, neque de carmine LI quidem hoc certum esse. Ut vero cum Schwabio (p. 359) dulce carm. XLIII post carm. XXXVII scriptum esse putem equidem a me non possum impetrare. De carminibus VIII et XXXVI infra agemus. Magnum carminum numerum desiderari in parte prima per se apparet elucet vero certo ex carm. XXXVII, 13 ‘Pro qua mihi sunt magna bella pugnata’. Sine dubio multa carmina partis tertiae scripta sunt ante carmen XXXVII,

ante carmen XXXVI vero, quo reconciliationem suam cum Lesbia celebrat poeta, certe carmina LXIX—LXXIII, ubi primo de infidelitate Lesbiae queritur poeta sicuti supra demonstrare studuimus (p. 15 sqq.). Sed hic molestiam exhibet versus 5 carminis XXXVI

Desissemque truces vibrare iambos

cum nullum carmen ad Lesbiam scriptum extet quod puris constet iambis. Hic illud verbum ‘iambos’ non accurate e mente metricorum usurpatum esse iam Schwabius vidit (p. 122. 123), qui hos locos Catulli in auxilium vocavit LIV, 6. Irascere iterum meis iambis

XL, 1. 2. Quaenam te mala meus miselle Ravide

Agit praecipitem in meos iambos

frg. 1 Catulli: At non effugies mens iambos.

His tribus igitur locis significavit poeta voce ‘iambi’ carmina phalaecia eaque contumeliosa. Eandem fere licentiam hic statuit Schwabius, intellexit enim locutionem a ‘truces iambos’ de carminibus XXXVII VIII quae choli mbis constant et de carm. XLII phalaecio; atque hac in primis causa videtur esse commotus ut haec carmina ante carmen XXXVI et paulo quidem ante carm. XXXVI scripta esse iudicaret (cf. p. 359). Sed hic sat graves obstant difficultates: primo demonstrari minime potest carmen XLII scriptum esse in Lesbiam, contra ut supra demonstrabamus (p. 12) multo est probabilius poetam in eandem hic invehi puellam quam carminibus XLI XLIII deriserat; deinde dulcissimum carmen VIII multo ante carmen XXXVII videtur esse scriptum tali tempore quo nondum aemuli amorem Lesbiae turbaverant (p. 9. 10); denique carmen XXXVII ut supra vidimus proxime videatur antecessisse carmini XI, post carmen XXXVII vero c. XXXVI scriptum esse non modo non potest demonstrari sed ne per se quidem re spectata est verisimile si tenorem utriusque carminis respicimus.

Itaque mihi nihil aliud videtur restare quam ut censemus poetam XXXVI, 5. vocem 'iambos' generaliter usurpare pro carminibus contumeliosis qua voce in primis designarentur carmina illa in Lesbiam aemulosque quae in tertia libri parte inveniuntur. Licenter saepius hanc vocem usurpari metrica forma prorsus neglecta ut genus carminum contumeliosorum significaretur, Welckerus ('Anakreon' kl. Schr. I p. 260. 261) demonstravit delegando ad Aristot. Rhet. III, 17: *ώς Ἀρχίλοχος φέγει — ἐν τῷ ίάμβῳ: χοημάτων δ' αἰελπτὸν οὐδέτεν ἔστιν οὐδέποτε ματον* et ad Athen. X p. 445 B. *οἱ καταλογάδην ίαμβοι.* (*ιαμβίζειν* generaliter usurpabatur pro *λοιδορεῖν* cf. e. g. Arist. poet. 4. διὸ καὶ ίαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ίαμβιζον ἄλλήλους.

Verbo *ιαμβοποιεῖν* Aristoteles licenter usus est ib. 22. Quod ad vocem 'iambicus' attinet cf. Appuleius apol. p. 406 Oud. 'Evidem C. Lucilium, quamquam sit iambicus, tamen improbarim, quod Gentilem et Macedonem directis nominibus carmine suo prostituerit' ubi haud dubie 'iambicus' generaliter dictum est, quamquam in parte quadam operis sui et iambis usus est Lucilius). Igitur non est incrédibile Catullum hoc loco 'truces iambos' de epigrammatis illis in Lesbiam aemulosque dixisse (quamquam hanc ipsam licentiam nullo analogo exemplo firmare possum), cum praesertim reputemus nullum aliud breve idoneumque verbum fuisse in promptu quo contumeliosos epigrammatum versus posset significare. Si vero concederemus carmen XXXVII esse scriptum ante carmen XXXVI locutio illa 'truces iambos' non minus esset referenda ad illa quoque epigrammata, si quidem ut iam supra memoravimus XXXVII, 13 'Proqua mihi sunt magna bella pugnata' aperte testatur magnam partem carminum LXIX — CXVI scriptam esse ante hoc carmen. Sed hoc certum videtur esse eodem tempore scriptum esse carm. XXXVI quo carmina CVII et CIX scripta sunt (cf. Schwab p. 121), ad eandem reconciliationem haec omnia carmina referenda

esse. Iam si reputas annales Velusi modo editos fuisse ansam Lesbiae renovandi cum Catullo consuetudinem, quam egregie ea sententia quam ego supra (p. 25—28) de ordine carminum tertiae partis accommodato temporibus tuli hic confirmatur eo quod ante carmina illa CVII, CIX quae coniungenda sint cum carmine XXXVI, invenimus alterum illud carmen quo Volusius deridetur, carmen XCV, quod fecit eodem tempore quo c. XXXVI scriptum esse iam Schwabius iudicavit (p. 288). Cupiens igitur cum Catullo in gratiam redire Lesbia memor illius carminis XCV quo Volusium perstrinxerat poeta hinc quaesivit ansam efficiendi id quod voluit vovitque salse si sibi restitutus esset Catullus electissima se Volusii scripta (de quibus quidnam iudicaret Catullus, ex carmine XCV Lesbia cognoverat) tardipedi deo se daturam. Laetus poeta carmine XXXVI ‘Annales Volusi e. q. s.’ his precibus respondit, paulo post cc. CVII CIX scripsit.

Hoc novo argumento postquam illam de ordine carminum LXIX—CXVI sententiam probare contigit confidentius iam suscipio carmina tertiae partis illustrare illa sententia pro fundamento usus. Sequor vero hic ordinem illum carminum quem in Lachmanni Hauptique editionibus invenies (supra de hac re disserui p. 21—24).

Tres carminum cycli hic inter cetera carmina eminent: carmina LXIX—LXXXIII, LXXXVII LXXVI, CVII CIX. Carminibus LXIX—LXXXIII primas de Lesbiae infidelitate querelas effudit poeta; carmina LXXXVII LXXVI cumulatam miseriam animumque poetae summe concussum et perturbatum testantur; carminibus denique CVII CIX reconciliationem suam cum Lesbia celebravit Catullus. Quod ad carmen LXXVI attinet non possum assentiri Schwabio (p. 123. 124) qui iudicavit in perpetuum renuntiasse hoc carmine poetam Lesbiae amorem. Luctatur sane animus Catulli secum gravissime ut eo se erigat, sed hoc carmen ipsum testatur firmioribus adhuc amoris vin-

culis teneri poetam quam ut si discesserit re vera hoc carmine scripto a Lesbia, hoc discidium diuturnum vel perpetuum fuerit. cf. vv. 11 sqq.:

Quin tu animo adfirmas itaque istinc teque reducis,
Et dis invitis desinis esse miser?

Difficile est longum subito deponere amorem.

Difficile est, verum hoc qua lubet efficias:

15. Una salus haec est, hoc est tibi pervincendum:
Hoc facias, sive id non potest sive potest.

O di, si vestrum est misereri, aut si quibus umquam
Extremam iam ipsa morte tulistis opem

Me miserum adspicite (et, sivitam puriter egi,

20. Eripite hanc pestem perniciemque mihi),
Hei mihi subrepens imos ut torpor in artus
Expulit ex omni pectore laetias.

Non iam illud quaero, contra ut me diligit illa,
Aut, quod non potest est, esse pudica velit:

25. Ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum
O di, reddite mi hoc pro pietate mea.

Quamquam igitur fortasse hoc carmine scripto discessit Catullus a Lesbia amorem hunc nondum depositus cf. in primis versum 25 ('opto'). Huc accedit quod ut iam supra (p. 24) monuimus hoc carmen non potest separari a carmine LXXXVII (cf. vv. 7. 8. carminis LXXVI

Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt

Aut facere haec a te dictaque factaque sunt
cum LXXXVII v. 1—4:

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam

Vere, quantum a me Lesbia amata mea's.

Nulla fides nullo fuit unquam in foedere tanta,

Quanta in amore tuo ex parte reperta meast.)
cuius versus 7. 8.

Ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

optime meum de carmine LXXVI iudicium confirmant. Non secus ad carmina LXXXVII, LXXVI quae secuntur carmina quattuor in Gellium LXXXVIII—XCI testantur animum miseria gravissime concitatum quorum acerbitas nobis afferret iustum taedium nisi memoria illius causae, quae ita concitavit animum poetae easque obscenitates procreavit, ad misericordiam potius vocaremur. Ergo me quidem iudice carmina LXXXVII LXXVI cum carminibus LXXXVIII—XCI coniungenda sunt quamquam primo aspectu illa quod tenorem attinet prorsus aliena videntur esse ab his carminibus. — Intra eos vero terminos carmen XCI et carmen CVII aptissime posita sunt carmina XCII et CIV quae transitum fortunae demonstrant,

c. XCII: Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam

De me: Lesbia me dispeream nisi amat.

Quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam

Adsidue, verum dispeream nisi amo.

c. CIV: Credis me potuisse meae maledicere vitae,

Ambobus mihi quae carior est oculis?

Non potui, nec si possem, tam perdite amarem.

Sed tu cum Tappone omnia monstra facis..

(Quod hic CIV, 1 Catullus Lesbiam vitam suam nominat cf. CIX, 1 hoc optime credo illustratur carmine LXXVI.) Hinc apparet sensisse poetam magis sibi tam propitiam esse Lesbiam, neque erravit nam paulo post restituit se Lesbia cupido amanti (cf. carm. CVII, 4) affirmavitque cum in gratiam cum poeta redisset hunc redintegratum amorem perpetuum fore. (CIX, 2). — Unde vero illa concitatio animi quam testantur carmina LXXXVII—XCI? Quae antecedunt carmina luculenter eius causas patefaciunt confer carmina illa in aemulos scripta in Rufum LXIX, LXXI, LXXIII, LXXVII, in Gellium LXXIV, LXXX in Lesbium LXXIX. Quod ad singula carmina attinet nequeo nimirum demonstrare hic eundem ordinem servatum esse quo hacc carmina scripta sint, sed quantum

video nihil obstat quominus credamus hic quoque accurate temporum rationem habuisse Catullum. Itaque brevi post Caelium Gellius cum animadverteret Caelio rem prospere cessisse videtur studuisse gratiam Lesbiae sibi conciliare, ut hanc ob causam primum in Gellium carmen (LXXIV) inveniamus inter ea carmina quae in Caelium primum aemulum scripsit poeta. Hunc vero Gellium praeter ceteros aemulos Lesbia videtur fovisse, multo enim acerbiora atque vementiora ea sunt carmina quae in Gellium scripsit poeta (LXXIV, LXXX, LXXXVIII—XCI) quam quae in Rufum (LXIX, LXXI, LXXIII, LXXVII) atque in Eg natium (XXXVII, XXXIX) scripsit. Itaque ad Gellium optime potest referri c. LXXIX (cf. vv. 1. 2 ‘quem Lesbia malit Quam te cum tota gente, Catulle, tua’) nam nomine ‘Lesbius’ cum acumine quodam feliciorem Catullo aemulum, qui iam possideat amorem Lesbiae, designari iam supra probare studuimus (p. 4). — Eodem fere tempore quo Catullus haec in aemulos carmina scripsit videtur coepisse rem habere cum Iuventio (LXXXI) et Aufilena (LXXXII) ut hinc levamen doloris de Lesbiae repudio caperet. Ad eandem Aufilenam referendum videtur esse carmen LXXXVI (nam hic Quintia nominatur quia iam Quintius cum ea rationem habet summoto Catullo cf. carm. C. 1. 2. ‘Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam Flos Veronensem depereunt invenim’ v. supra p. 26); itaque de hoc carmine quo Lesbiae egregia pulcritudo praedicatur comparata Aufileneae forma prorsus idem dicendum est quod supra (p. 28) de carmine XLIII iudicavimus nullam esse causam ut hoc carmen adiungamus eis quae primo tempore amoris Lesbiae scripsit poeta (II, III, V, VII), sed ex ea ipsa re quod quo tempore hoc carmen scriptum sit habuerit Catullus rationem cum Aufilena colligi posse hoc carmen turbato demum Lesbiae amore scriptum esse. Itaque huius carminis locatio impugnari non potest, cum praesertim reputemus carmina illa in aemu-

los Lesbiamque scripta quae inveniantur ante c. LXXXVI nullum exhibere indicium unde appareat discessisse iam poetam a Lesbia. Fortasse huic carmini (LXXXVI) nonsine causa praepositum est carmen LXXXV :

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.

Nescio sed fieri sentio et excrucior.

nonne enim coniicere licet Catullum qui haud dubie carmina apte conectere saepe studuit, carm. LXXXV quasi excusare se velle de carmine LXXXVI quo eam praedicet quam antea contumeliis insectatus sit. Sed hac prædicatione nihil effecisse poetam apparet ex carmine insequenti LXXXVII. — Restat ut de carmine LXXXIII dicamus. Quod carmen quamquam perobscurum est, eius summa haec videtur esse: Catullum videri sibi cognoscere Lesbiam conscientia animi stimulari; sed hinc minime est consecarium eodem hoc carmen scriptum esse tempore quo c. XCII quod Schwabius iudicavit (p. 80).

Iam si comparamus hanc tertiam cum prima carminum parte sine dubio carmina II, III, V, VII, XIII, VIII scripta sunt ante c. LXIX sqq., c. VIII vero intransitu utriusque carminum ordinis videtur esse ponendum, est enim scriptum tali tempore quo iam diffidit poeta amori Lesbiae, quo autem nondum perspicerat cum aliis eam rem habere. Post c. LXIX—CXVI haud dubie scripta sunt carmina XXXVII, XI, LVIII, unum tantum carmen XXXVI certo paulo ante carm. CVII scriptum est, sed disideratur minime in hac tertia parte; idem dicendum est de carminibus XLIII, LI si quidem haec carmina huic temporis spatio tribuenda sunt quod terminatur carminibus LXIX et CXVI. Ergo quod supra dixi (p. 33), divisionem illam tripartitam nihil fere nocuisse carminibus LXIX—CXVI operaenque fuisse pretium ut haec carmina ita ordinarentur sicuti singula deinceps scripta essent, iam apparuit simul apparuit nullius fere fructus fuisse si Catullus carmina II—LX accurate ordinaret temporum ratione habita.

Reliquum est ut ea carmina partis alterius, quae ad Lesbiam sunt referenda, in illum ordinem quem hucusque probare studuimus inseramus. Vidimus supra (p. 13—15) et carmen LXVIII^a et carm. LXVIII^b scripta esse paulo post fratris Catulli mortem, sed carmen LXVIII^a tali tempore quo dolore de fratris morte commotus discesserat poeta a Lesbia, c. LXVIII^b tali quo redintegrarat hanc consuetudinem cum Lesbia; illo igitur tempore quod intercessit inter utrumque carmen Lesbia cum Catullo in gratiam redierat. Non procul igitur abest ut suspicemur hanc quoque reconciliationem eandem esse atque eam de qua agitur carminibus CVII CIX. Si enim meminerimus qualia in Lesbiam crimina coniecerit Catullus eis carminibus quae ante c. CVII sunt scripta apparet prorsus eandem esse vim versibus 28.29 carminis LXVIII^a ‘quod hic qui vis de meliore nota Frigida deserto tepefactet membra cubili’. Qualis vero illa cum Lesbia consuetudo fuerit post illam reconciliationem, quam spectant carmina CVII CIX facile concludere possumus ex eis carminibus quae ante c. CVII scripta sunt, ut hac quoque re respecta post carmina CVII, CIX scriptum videatur esse carm. LXVIII^b, nam ut iam supra monuimus (p. 12) hoc carmen minime testatur laetam inter Lesbiam Catullumque concordiam cf. v. 135 sqq.:

Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundae furta feremus erae,
Ne nimium simus stultorum more molesti.

Ita enim loqui Catullum necessitate coactum et non ex animi sententia facile apparet. Carmen LXVIII^a autem brevi post carmen LXXVI videtur esse scriptum, nam illud non est urgendum quod Catullus in carminis LXVIII^a v. 19—29 tantum dicit dolore de fratris morte commotum se discessisse a Lesbia, certo simul infidelitas Lesbiae in causa fuit, hanc enim ob causam luctatum secum esse Catullum ut desereret amicam testatur carmen LXXVI quod

consilium firmatum est nuntio de fratri's morte accepto cf. c. LXVIII^a 25, 26.

Cuius ego interitu tota de mēto fugavi

Haec studia atque omnis delicias animi.

sed nihilo minus hoc consilium non diu videtur stetisse. (Non prorsus abieccisse poetam amorem Lesbiae eo tempore quo carmen LXVIII^a scripsit, apparet e. versu 30: 'Id, Manli, non est turpe, magis miscerumst').

Ceterum haec carmina LXVIII^a et LXVIII^b non magis desiderantur in decursu carminum LXIX—CXVI quam carmina primae partis. Hoe autem fere ordine carmina illa Catulli quae ad Lesbiam sunt referenda videntur se excepisse:

1. II, III, V, VII, LI (?), XIII, VIII.
2. LXIX—LXXVII, LXXIX, LXXX, **LXXXIII**, LXXXV—XCI, LXVIII^b; XCII, CIV; XXXVI, CVII CIX LXVIII^b, XLIII (?).
3. XXXVII, XXXIX, XI, LVIII.

In toto hoc ordine unius tantum carminis tempus per se potest definiri, hoc est carmena XI. Cf. v. 1—14.

Post aestatem anni 699—55 hoc carmen esse scriptum appareret ex vv. 11, 12, eo enim anno primo in Britanniam solvit Caesar 'exigua parte aestatis reliqua' (cf. Caes. b. G. IV, 20), atque huic ipsi anno Th. Mommsenus qui publicas hoc carmine res in primis perstrinxisse Catullum cupidius coniecit, carmen XI tribuit (cf. Mommsen Roem. Gesch. III³ p. 318). Haec verba potissimum digna sunt quae exscribantur 'Man erinnere sich, dass es' (c. XI) 'in einer Zeit geschrieben ward, wo Caesar am Rhein und an der Themse kaempfte und wo die Expeditionen des Crassus nach Parthien, des Gabinius nach Aegypten vorbereitet wurden. Der Dichter, gleichsam auch von einem der Machthaber einen der vacanten Posten erhoffend,

giebt zweien seiner Clienten die letzten Auftraege vor der Abreise —. Sed talis sensus minime inest in hoc carmine, nam simulare hic poetam se cum imperatore quodam in remotissimas terras esse iturum, sine dubio negandum est, si quidem versum 10 respicimus:

Caesaris visens monimenta magni

hoc tantum dicit poeta persuasum sibi esse Furium et Aurelium parasitos vel in remotissimas terras secum esse ituros, designantur autem ultimi fines imperii Romani illis expeditionibus quae paulo ante in remotissimas terras susceptae erant. Itaque minime cogimur anno 699—55 tribuere hoc carmen, quod potest etiam anno 700—54 scriptum esse.

Totum carmen XI Schwabius ita explicat (p. 129): ‘Catullus in perpetuum Lesbiae amorem renuntiat. at cur poeta id quod, ut vidimus, iam pridem fecit iterum facere voluit? cur Furio et Aurelio, hominibus a se despectis, mandavit illa? ut breviter dicam, Clodia tum Catullum per nescio quos precibus adiisse videtur, ut eius gratiam et amorem diu intermissum recuperaret: sed a poeta, qui temporum priorum doloribus prudentior et cautior factus erat, nihil nisi repulsam acerbam reportavit, quam Catullus ut contemptum suum magis aperiret per miserum illorum homunculorum par finxit illi se significasse.’

Hic videmus quantam sibi ipse pararit difficultatem Schwabius cum contenderet (p. 123. 124) carmine LXXVI scripto Catullum in perpetuum a Lesbia discessisse (v. supra p. 38—40). Nam neque ullo modo Schwabii carminis XI explicatio potest ferri et certissimum est hoc demum carmine XI in perpetuum Catullum amorem Lesbiae renuntiasse. Hoc apparet e versu 21 ‘nec meum respectet ut ante amorem’ praecipue vero e versibus 15. 16 ‘pauca nuntiate mea puellae non bona dicta’ ubi procul dubio necessario Catullus verbo ‘renuntiate’ pro ‘nuntiate’ usus

esset, si vera esset Schwabii huius carminis explicatio.
Sanc non est probabile Catullum anno 699—55 demum a
Lesbia recessisse, si haec ista erat Clodia quadrantaria,
cuius impudicitia turpissima iam anno 698—56 in omnium
ore erat.

V I T A.

Guilelmus Vorlaender natus sum Mindenae anno h. s. XLI die XXX mens. Dec. patre Iacobo matre Amalia e gente Kulemannia. Fidei addictus sum evangelicae. Decem annos natus frequentare coepi gymnasium urbis patriae; unde novem annis post cum maturitatis testimonio dimissus vere anni LXI Gryphiswaldiam me contuli ubi per ter senos menses docentes audivi hosce: Georgium, Hannium, M. Hertzium, Schaeferum, Schoemannum, Susemihlum. Inde auctummo anni LXII Bonnam migravi ibique per biennium scholas frequentavi Brandisii, Gilde-meisteri, O. Iahnii, Maurenbrecheri, F. Ritschelii, L. Schmidtii, Simrockii. Quibus viris omnibus maximas ago gratias praecipue Hertzio, Schmidtio, Schoemanno, Susemihlio; praeter ceteros vero me sibi devinxerunt Brandisius cuius benevolentia mihi licuit per tria semestria societatis eius philosophicae participi esse, et Iahnius Ritscheliusque quorum beneficio mihi contigit ut seminario philologico ascriberer, unde maximo cum meo dolore post sex menses citius discedere coactus sum instante eo tempore quo stipendia me facere oportet.

THESES.

1. Soph. Ant. vv. 611—614 ita sunt emendandi:

τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον

καὶ τὸ πρὸν ἐπαρκέσει

Νόμος ὅδ' — οὐδὲν εἴργει

Θνατῶν βίον οὐ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.

2. In Soph. Ai. vv. 399. 400 legendum esse coniicio:

οὔτε γὰρ θεῶν γ' ἐνὸς οὐδέ τις ἀμερίων

εἰτ' ἄξιος βλέπειν τίν' εἰς ὄνασιν ἀνθρώπων.

3. Verba quae exstant in Aristot. poet. 9 § 10 (p. 1451 b 30 sqq.) *καν αἷρα συμβῆ — ποιητής ἐστιν* sensu carent et interpolatione orta esse videntur.

4. Apud Horatium (epp. I, 2. 59—61):

Qui non moderabitur irae,

Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,

Dum poenas odio per vim fastinat inulto

pro ‘inulto’ scribendum est ‘iniusto’.

5. Catulli c. XXIX versus 5—10 non ad Caesarem sed ad Pompeium sunt referendi.

6. Ex erroribus in litteris plus fructus solet redundare quam detrimenti.

